

147

Nos infrascripti Palatinatum Cracoviensis, Sandomi-  
niensis, Kioviensis, Russiae et eius Ferrarum, Pothynen-  
sis, Lublinensis, Betzensis, Deputati, Omnibus et singu-  
lis lectoribus has visas et lecturis notum testatumque  
facimus: Quandoquidem Serenissimo ac potentissimo  
Principi et Domino, Carolo Gustavo Suecorum, Gotthor-  
Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiae, Duci  
Esthoniae, Carliae, Bremae, Verdae, Stetini, Comeraniae  
Cassubiae, Vandaliae Principi, Domino Vismariae, nec  
non Comiti Palatino Rheni, Bavariae, Juliae, Elviae  
et montium Ducis, Domino nostro clementissimo, pro  
innata sibi benignitate, et optimo erga eodem Palati-  
natus affectu visum fuit, humillimis eorum deside-  
riis, eo, qui in declaratione Regia, descriptus est, modo,  
annuendi, idcirco nomine antememoratorum Palatina-  
tuum Sincere Sancteque promittimus:

1. Eisdem Palatinatus Regem Joannem Casimirum ab-  
dicaturos, omnique cum eo vel eius adherentibus, iis  
qui Sacrae Regiae Maiestati quodammodo nocere student  
commercio renuntiaturus.
2. Recipimus omnes et singulos eorum Palatinatum in-  
colas S. Regiae Maiestati Sueciae ut vero Regi suo fi-  
deles et obsequentes se prestituros in omnibus et contra  
omnes.
3. Palatinatus literis Reversalibus se quamprimum ob-  
stringenti, quo de eorum fide et obsequio certa, tutaque  
esse possit Sacra Regia Maiestas.
4. In potestate Sacrae Regiae Maiestatis sint loca ad secu-  
ritatem suam Poloniaeque facientia, ubicunque eidem Ma-  
iestati visum fuerit muniendi et presidio firmandi,

usque

usque dum hoc belli incendium sedatum fuerit.

5. Urbes, arces in iisdem Palatinatibus sitæ, Sacra Regiæ  
Majestati tradentur, præfectique et præsidia inibi existentia  
si mutare noluerit, Sacra Regiæ Majestati Juramento  
obligentur

6. Subsidia tam ratione peditatus in singulis Palatinatibus,  
quàm ratione contributionis in usum belli præteritis Co:  
mitibus decreta continuabuntur, donec hæcæ malis que Po:  
loniam exerant finis impositus fuerit, eaque, que adhuc  
ex Decreto præstita non sunt, præstabuntur.

7. Nobilitas Palatinatum qua stipendia non meret ad sua  
readet infra 14. dierum spatium, ibidemque quietè deget  
sub pena confiscationis. In quorum fidem manibus no:  
stris presentes subscriptas, Sigillis nostris firmavimus.

Actum Cracovia die 31. Octobris Anno Domini 1655.